DISSERTATIO HISTORICA
DE
ECCLESIIS CARELIÆ SVECICÆ GRÆCAM RELIGIONEM PROFITENTIBUS,

Quam

Conſenſu Ampliſſ. Senat. Philoſ. in Reg. Acad. Aboënſi Publicæ Disquiſit. modeſte ſubmittunt

ADOLPHUS HENR. WINTER,

Phil. Mag.

et

GUSTAVUS FREDERICUS HJERPPE,

Carelii;

In Auditorio Majori die 30 *Novembris* 1796,

h. . . f.

Pars Prior.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

3.

VIRO

PLURIMUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO

Dn. ANDREÆ WINTER,

PASTORI ECCLESIÆ KESALAX.

PATRI INDULGENTISSIMO,

Hasce pagellas, in tesseram animi venerabundi et gratissimi, ob innumera et vere paterna in semet collata beneficia, Nomini Tuo amantissimo jure meritissimo, cum ardentissimo perpetuæ et omnigenæ felicitatis voto, consecratas esse voluit, debuit

PATRIS OPTIMI

Filius obsequentissimus
ADOLPHUS HENRICUS WINTER.



PRÆFATIO.

Cum tanta laboremus penuria monimentorum, quorum ductu, Historiam patriæ nostræ, ævi antiquioris, contexere debeamus: non sane mirandum est, si nec de *Careliæ* nostræ fatis priscis quid certi statuere possimus; quippe quæ omnibus fere monimentis remotioris temporis nudata, vix nisi nomine tenus diu fuit cognita. Ex iis tamen monimentis (*a*) quæ ad nostram pervenerunt cognitionem, verosimillimum videtur, Carelios qui orientaliores et septentrionaliores ejus regionis partes incolerent, sub potestatem Novogrodensium redactos, ad eandem, ac hi ipsi, Religionem Græcam adductos fuisse, vel saltem notitiam ejus aliquam accepisse. Cujus rei etiam adsunt vestigia, docentia quandam hinc irrepsisse ad reliquam quoque Fin-

(*a*) Vid. Messenii, Finlands Rim-Krönika (Aboæ Anno 1774 impress.) p. 13, 14.

landiam quasi contagionem (*b*). Postquam vero Careliæ pars australior et occidentalior devicta ac Regno Sveciæ subjecta fuisset a Regni Mareschallo et Tutore R. *Birgeri*, *Torkillo Canuti*, qui comitem habuit, *Petrum* Episcopum Arosiensem: Romano-Catholicam incolis devictis sensim obtrusam fuisse religionem, constat (*c*). Rebus autem postea a Rege *Magno* II:do parum prospere gestis, a magno Principe Russorum *Georgio* iterum occupata fuit pars Careliæ (orientalior et borealior) ac ad religionem Russorum rursus perducta; donec per R. R. CAROLI IX et GUSTAVI ADOLPHI victorias (duce inprimis *Jac. de la Gardie* reportatas) et subsecutam pacem Stolbovensem anno 1617 factam, magna multitudo hominum Græcæ confessioni addictorum in Ingria et ditione Kexholmensi (ad quam posteriorem illa quoque Careliæ pars pertinuit, quæ adhuc Svecico paret Sceptro), subjiceretur: per cujus pacis conditiones Monachis, Mercatoribusque vel emigrare vel manere permittebatur, Sacerdotibus vero Parœciarum, nec non hominibus agros colentibus exire, vel domos suas deserere expresse pro-

(*b*) Episcop. JUUSTEN in oratione Synodali Aboæ a. 1573 habita (quæ Ms. in Biblioth. Acad. servatur), usum damnat porrigendi panem et vinum hospitibus S. Cœnæ *ope coclearis*; qui mos etiamnum apud Russos et Carelios Græcam Religionem confitentes) viget.

(*c*) Vid. MESSENIUS ibid. p. 21.

prohibebatur; quod ut eo minus facerent liberum religionis suæ exercitium illis concedebatur (*d*). Successu vero temporis fides tamen Evangelico-Lutherana, non quidem vi illis obtrudebatur (*e*), sed docendo tamen et mentes hominum collustrando, inter illos sensim propagabatur; idque eo fiebat facilius, quo rudiores essent quoque minus suæ placita religionis, si externos quosdam ritus excipias, tenerent. Tantis enim erant ipsi Sacerdotes eorum (ne quid de laicis dicam) tenebris obducti, ut vix libros suos (si quos haberent) multi legere, multo minus vel primas lineas religionis animis auditorum exhibere possent. Magna autem pars incolarum interim vel perierat, vel emigraverat. In quorum locum ex vicina Savolaxia homines immigrabant: unde tanta sensim multitudo, his per matrimonia aliasque rationes conjuncta, suam deserens fidem in Lutheranorum castra transiit, ut etiamnum in iis terris quæ per seculum prope Russis jam paruerunt, suam fidem non negligenter promoventibus (*f*), maxima

 tamen

(*d*) Cfr. Widekindi Thet Swenska i Ryssland Tio års Krigs-Historie p. 840 seq.

(*e*) Qua de re cfr. Litteræ Cancellariæ Regiæ a. 1698 d. 3 Junii ad Regem *Carolum XI* datæ, in *Novis Foliis Hebdom. Aboëns.* a. 1789 N:o 37 legendæ.

(*f*) Vid. Bergius *de statu Ecclesiæ et Religionis Moscoviticæ*, P. I, C. IX. Ac notum est, quot incitamenta plebi Lutheranæ hodieque ad Græcam confessionem amplectendam offerantur.

tamen pars incolarum Euangelico-Lutheranæ adhæreat religioni. Ut autem nullibi Græca confessio vi oppressa, aut plane eradicata fuit: ita nec in illa Careliæ particula, quæ adhuc Svecico pareret imperio, omnino evanuit. Supersunt itaque etiamnum in Carelia nostra homines Græcæ Ecclesiæ ritum servantes; qui duas hodie constituunt Ecclesias. Quarum status et conditio, cum vulgo minus cognita sit: operæ pretium duximus eam diligentius exponere; Benevolum Lectorem rogantes, velit conatus nostros hosce juveniles mitiori perstringere censura. Ut autem pares huic suscipiendo operi nobis quodam modo videremur, larga messis subsidiorum effecit, quæ benigne nobis exhibita sunt; quem favorem grato venerabundoque animo agnoscimus, et merito prædicamus (g).

§. I.

---

g) Præter commentationem eam, quæ in *Novis Foliis Hebdom. Aboënsibus* (Åbo Nya Tidningar) a. 1789 N:o 36 et 37 exhibetur, ex *Actis Ven. Consistorii Ecclesiastici Borgoënsis* egregia subsidia collegit Archipræpositus ibidem Max. Reverendus Dn. M. MAGN JAC. ALOPÆUS; quorum nobis copia benigne facta est. Inprimis autem doctæ atque diligentes de statu et conditione harum Ecclesiarum (præsertim illius in Ilomants) Observationes, quas concinnavit Amplisf. Dn. JOACH. MOLANDER, Regiæ Legionis Venatorum militarium quæ in Carelia stationem habet, Signifer, maximo nobis adjumento fuerunt.

§. I.

Ecclesiarum igitur duarum, quae hodie in Carelia Graecam Christianismi formulam profitentur, altera cum templo, ministris auditoribusque, tota quanta intra Paroeciam *Ilomants* sita est; alterius vero Ecclesiae membra per Paroecias *Libelits*, *Tohmajärvi*, *Pelgjärvi*, *Kides* et *Pielisjärvi* ~~est~~ dispersa, ita tamen, ut plurima auditorum pars intra paroeciam *Libelits*, ubi etiam templum (a quo fundus Sacerdotis s. Pastoris, Prästebordet, non longe abest) exstructum est juxta pagum, *Taipale* nominatum, habitet (*h*). Haec ex duabus priscis enata Ecclesiis (*i*), illa quidem in *Ilomants* antiquior esse vulgo perhibetur; sed tamen pauca omnino de statu ejus, a tempore Careliae per pacem Stolbovensem acquisitae, ad pacem usque Nystadiensem, nobis inotu-

(*h*) Olim antequam haec regio Svecis subjiceretur, etiam in paroecia *Kides* templum fuisse exstructum putatur?

(*i*) Praeter Templum eodem loco exstructum ubi hodie quoque, prope pagum *Taipale* (spatio $1\frac{1}{2}$ milliaris a Templo Lutherano remotum) habetur, aliud quoque, non longe a Templo Lutherano Libelitsensi situm, Seculi XVII initio exstitisse, Pastor Taipalensis hodiernus perhibet. Utraque autem haec Ecclesia Graeca, exeunte seculo ita diminuta fuerat, ut in unam tandem coalesceret, belli vicennalis calamitate illam quoque pessumdatam.

notuerunt (k). Secundo autem hujus seculi decennio, cum tota Carelia, ut et reliqua Finlandia, hostium sævitia ad incitas fere redacta fuisset; membra harum quoque Ecclesiarum, partim perierunt, partim in captivitatem abducta sunt, partim alias sibi sedes suo ipsi consilio elegerunt. Qua dispersione incolarum factum fuit, ut templa quoque fierent deserta ac desolata; eaque exigua sane pars hominum Græcæ confessioni addictorum, quæ remansit, rebus fere omnibus adeo spoliata atque denudata

(k) Dubium vix videtur, quin hoc temporis intervallo, si Lutherani Sacerdotes satis et diligentiæ et prudentiæ adhibuissent, Carelii Græcæ addicti confessioni, docendo et persuadendo, ad nostram volentes pertrahi religionem omnes fere potuissent. Cujus tamen curæ neque ipsos eorumque antesignanos, Episcopos inprimis Wiburgenses, neque etiam Magistratum Civilem, omnino fuisse (quod etiam supra significavimus) expertes, plura docent monimenta. Sic Cl. ALNANDRO referente (*Hist. Artis Typographicæ in Svecia*, C. IV. §. II, p. 98 seq.) constat, Regem *Gustavum Adolphum*, "ut subditos suos, in confinio Im-"perii Moscovitici degentes Moscorumque superstitio-"nibus adhuc adsuetos, veræ religionis sensu imbue-"ret, Catechismos aliosque huic negotio idoneos li-"bros, Moscorum lingua et literis, illis curasse eden-"dos," eoque consilio et typos Rusficos confici jussisse, et *Petrum van Selav* e Germania (an ex Batavia?) 1625 arcessisse, qui Typographiæ huic Rusficæ

nudata fuit ut bello cum Russis tandem composito, stipendia suis persolvere haud valerent sacerdotibus; quorum

præesset; ex qua etiam tales libros vere prodiisse (cum Russica, tum Fennica lingva scriptos, literis autem Russicis sive rectius Schlavonicis, qualibus Russorum scripta ecclesiastica exarantur, impressos), ac inter incolas istarum regionum fuisse distributos, compertum est (cfr. Diss. Præclariss. Dn. M. Pet. Joh. Alopæi *De libris raris* Ab. 1792, P. Post. § IX p. 46). Sed in literarum cognitione et legendi facultate illis instillanda, parum profectum fuisse, simul fatendum est. Porro a. 1686 publico nomine Stockholmiæ, Fennice typis editam *Commonefactionem fidelem ad Fennos qui religioni Russicæ hactenus adhæserunt* (*Uscollinen Manaus nijlle cuin suomenkieldä puhuvat, mutta cuitengin tähän asti heitäns pitanet Wenäjän Kirkoin ja Pappein tygö*, 1 plag. 4:o) Bibliotheca Academica possidet; ubi varia momenta ad eos in rectam viam deducendos pertinentia, proponuntur et inculcantur. Cum autem Episcopus Wiburgensis, *Petrus Laurbecchius*, commodiore et breviore via scopum attingere cupiens, svadere ausus fuisset, ut Fennis Græcæ fidei formulæ addictis, libero religionis suæ exercitio plane interdiceretur; imprudens non minus quam injustum hoc consilium Regia Cancellaria (*Kongl. Cancellie Collegium*) literis d. 3 Junii a. 1698 ad Regem datis merito improbavit: qvæ literæ (supra jam a nobis laudatæ) non contemnendam toti huic rei lucem affundentes, legi possunt in *Novis Foliis Hebdom Aboënsibus* (Åbo Nya Tidningar) a. 1789 N.o 37 p. 298 seq.

quorum itaque operam desiderantes, e vicina Russia (Ecclesiis *Sordavala* et *Suistamo*) sacerdotes ad sacra sua procuranda quærere sunt coacti. Anno autem 1743 (vel, ut aliis placet, aliquot annis maturius), post factam pacem Aboënsem, suos rursus ipsi (Magistratu Svecico intercedente) acceperunt sacerdotes, cultumque religiosum in templo ad *Taipale* sito celebrare coeperunt (*l*). Cumque anno 1774 (d. 30 Julii) templum hoc cum omni fere suo apparatu, ornamentis, libris, campanis etc. incendio deletum fuisset (*m*); ejus in locum mox (eodem anno) aliud fuit exstructum, atque ab Imperatrice Russorum omnibus ornamentis, quæ ignis vis

(*l*) Ex literis Satrapæ ditionis Kymmenegårdensis *de Ditmer*, ad Consistorium Ecclesiasticum Borgoënse 1738 d. 29 Sept. datis, patet jam eo anno Sacerdotem Russicum *Theodorum* (Feodor s. Fedor) *Sophronoff* fuisse Pastorem Ecclesiæ Græcæ in Carelia Svecica a Sacra Russiæ Synodo Suprema constitutum, adjuncto sibi Cantore (*Dejatsock*): sed quod Petropoli, informationis de officio suo rite administrando plenioris comparandæ caussa diutius moraretur, bello interveniente impeditus fuit, ne ante a. 1743 munus hoc sibi demandatum auspicaretur. Ad ornamenta vero Templi vestesque et apparatum necessarium comparandum, Russiæ Imperatrix (ELISABETHA) 500 Thaleros imperiales Russicos (Rubl: r) postea donavit.

(*m*) De novo Templo in locum angusti ruinosique prioris ædificando, membra hujus Ecclesiæ anno jam

vis consumserat, munifice auctum: cui dono Archiepiscopus Petropolitanus 50 Thaleros Russicos (Rublar) privatim addidit. Primo hujus Ecclesiæ Pastori, *Theodoro Sophronoff*, a. 1759 defuncto, successit *Petrus Theodori Magnitski*, Cantor (*Dejatsock*) antea ejusdem Ecclesiæ, qui quinquennio post, ob vitia in officii administratione commissa, munere privatus (*n*), in Russiam redux Pastor Russicus in Nyslott fuit constitutus. Post quem *Gregorius Feodotoff* Pastor antea in Nyslott, Libelitsensis Ecclesiæ curam accepit; unde anno 1770 ad Ecclesiæ Græcæ in Sordavala (*Serdapol*) administrationem fuit translatus, successoremque habuit *Simeonem Gregorii Sastrowski*, Turmarum Equestrium ditionis Archangelicæ (*Archangel Rogodski (Gorodski?) Carabinernoi*) antea Pastorem, qui anno 1790 decessit, filium *Petrum Simeo-*

 nis

1764, cum Episcopus Borgoënsis eam visitaret, supplicaverant, opemque publicam, per colligendas in Regni templis ad hunc usum pecunias (Collecte-medel) petierant, eo æquiore sibi jure debitas, quod et ipsi ad templa Lutherana ædificanda, simili modo stipem contulerant.

(*n*) Sententia Judicii Territorialis (Härads-Rättens) Careliæ, quam Regia Majestas confirmavit, Consistorio Ecclesiastico Borgoënsi consulente. Quam caute vero atque moderate idem Consistorium sacerdotes Græcæ confessionis tractet, vel hoc docere exemplum potest; de quo cfr. WILSKMAN Swea Rikes *Ecclesiastique* Werk, T. II p. 962 seq.

nis *Sastrowski* eodem anno habens in munere successorem, qui per multos annos Cantoris (*Dejatsock*) in eadem Ecclesia officio functus, auditorum suorum impenso studio commendatus, Synodi Russicæ suffragationem meruit, atque adhuc hujus Ecclesiæ cura, singulari diligentia ac fide fungitur. Cum enim antecessores sui, literarum (Patrem suum si excipias) plane rudes ægre lingvam callerent Fennicam, quam solam auditores intelligunt, neque vita admodum essent probati, et Russorum rebus faventissimi; hic honestis insignis moribus, non tantum Germanicam et Suecicam haud nescit, Fennice etiam scribere commode valens, verum Religionis quoque et officiorum suorum cognitione, nec contemnenda nec illiberali imbutus (*o*), disciplinam ecclesiasticam servat legibus præscriptam, nostrorum hominum æque ac suorum benigno florens judicio. Vernaculæ hic auditorum gnarus, non solum capita Liturgiæ, ad Ecclesiæ suæ præscriptum Sclavonice prælecta, Fennice illis perspicue exponit, sed et frequenter eos privatim conveniendo, principia religionis illis instillat, ac in profectus eorum inquirit. Quo studio, tantos in iis erudiendis fecit progressus ut magna eorum pars, non solum libros ipsi legere, verum etiam capita religionis præcipua memoriter

(*o*) Scholæ publicæ Kexholmensis per aliquot annos alumnus, præter aliarum rerum etiam Latinæ linguæ aliquam sibi comparavit cognitionem.

moriter recitare atque ſenſum eorum intelligere jam valeant: cum tantis antea fuisſent obducti tenebris, ut plerosque ne prima quidem elementa religionis ſuæ nota habuisſe, conſtet.

§. II.

Exigit porro ordinis ratio, ut de Eccleſia *Ilomants* paucis jam agamus. Si laudato nuper *Petro Saſtrowſki* fidem habemus; templum Eccleſiæ Græcæ in *Ilomants* ante et circa annum 1709 jam exſtitisſe, ac ſacerdote reliquisque miniſtris gaviſum fuisſe, exiſtimare debemus; qui incolis infelici bello diſperſis, in Rusſiam commigrarunt. Templum vero hoc, eodem ſitum fuisſe loco traditur, quo novum poſtea ædificatum fuit. Poſtquam Eccleſia *Libelitſenſis* templo rurſus aucta fuisſet, *Ilomantſenſis*, ad annum usque 1759 ei ut matri, adjuncta fuit (war ſåſom Capell-Förſamling derunder); quo temporis intervallo Paſtor *Libelitſenſis*, certis anni temporibus itinera facere ad hæc loca debuit, infantes baptizaturus, et mortuos ſepulturus eaque occaſione ſimul cultum Divinum in eorum *Tſäåsſynis* (ædiculis ſacris, de quibus mox) celebrare conſuevit. Rarius autem quam par erat hæc itinera ſuſcepisſe (plerumque non niſi bis quovis anno), monimenta plura oſtendunt. Cumque Sacræ Cœnæ adminiſtrationem et benedictionem novorum conjugum, extra templum ſolenniter con-

 ſecra-

secratum peragere non liceret; ad Templum, usque in *Taipale*, sacrorum horum beneficiorum percipiendorum caussa, remotissimi etiam Ilomantsensis parœciæ incolæ proficisci cogebantur. Anno demum 1759, ad preces hujus Ecclesiæ assiduas, intercedente et procurante Episcopo atque Consistorio Ecclesiastico Borgoënsi (quod per Legatum Svecicum Petropoli commorantem, Sacræ Russorum Synodo supremæ rem commendavit), decretum fuit, ut Capella (*Tsååssynä*) ad pagum Ilomants a. 1757 exstructa, in qua cultus divinus hactenus celebratus fuerat, in templum commutaretur, suumque reciperet Pastorem; qui tamen non ante annum 1766 ad officium obeundum rite inauguratus fuit, quo tempore templum quoque ritibus ab Ecclesia Russica usitatis (*a*) fuit consecratum (*b*). Æstate autem a. 1794,

(*a*) Ad hoc templum ædificandum Regia intercedente venia, pecunia collecta fuit in templis (Lutheranis) Diœcesium Aboënsis et Borgoënsis: quam tamen opem 443 Thaleros et 14 oras monetæ cupreæ non excessisse, novimus. Ornamenta vero omnis generis, vestes, imagines, campana 400 librarum (1 Skeppund) et libri necessarii (Vol. XXV), cum pecunia ad hæc omnia Petropoli huc transferenda (XXX Rubl.), ab Imperatrice Russorum, a. 1765 dono concessa sunt.

(*b*) A præfecto (*Igumen*) Monasterii *Walamo* (in insula Lacus Ladoga siti).

1794 Templum et Græcorum et Lutheranorum juxta sita fulmine incensa, in fumum et cinerem versa sunt; quo infortunio hujus quædam ornamenta simul perierunt. In hujus vero templi locum aliud novum jam est exstructum, cui ornamenta omnia, quæ flammas non evaserant, Imperatricis Russicæ liberalitate rursus contigerunt. Pastor huic Ecclesiæ a. 1765 primus datus fuit *Johannes Michaëlis Smollnakoff*, antea in Libelits Cantor (*Dejatsock*). Quem rudem litterarum atque in ipsis religionis capitibus parum versatum, de cetero moribus non improbum fuisse, accepimus. Hunc a. 1770 mortuum *Petrus Protopopoff* sequebatur, qui a. 1776 mente captus (*c*), in Russiam revocabatur, ubi sanitate recuperata, Diaconi munus Wiburgi obtinuit, quo fungens a. 1792 diem obiisse dicitur: ob probitatem ab iis qui eum cognoverant magnopere laudatus. Ei succedebat *Nicolaus Simeonis Sastrowski*, Kexholmiæ antea Diaconus, literarum non rudis (quod Scholam Germanicam Kexholmensem frequentaverat),

 Lingvæ

(*c*) Ferunt eum, quod auditoribus suis, a Chiliarcha eo tempore Legionis Savolaxensis *Ge. Magno Sprengtporten* inductus persvasisset, ut tributum ad manum Venatorum Militarium conducendam et alendam, quotannis conferendum in se reciperent (Jägare-afgiften), et crebra deinde ob hanc rem exprobatione a popularibus suis vexatus fuisset, hæc probra tolerare non potuisse.

Lingvæ etiam Germanicæ et quadantenus Svecicæ peritus; qui non raro Fennice conciones habuit. Moribus probatus, in conversatione taciturnus et gravis, rei familiari accurate præfuit; orthodoxiæ suæ Ecclesiæ severe fuit addictus, qui non facile ad sermonem de religione cum nostris conferendum adduceretur; Patres Græcos diligenter legebat, cœcam iis fidem mancipans: atque a legendi facultate auditores suos docenda alienior. Bello cum Russis orto, vere anni 1789, quod suspectum se nostris esse putaret, in Russiam transfugit; quam ob caussam die sibi dicto, a nostris ut transfuga damnatus est (domi Pastor arcis Wiburgensis postea factus). Unde evenit, ut Ecclesia sua ministerio sacerdotali careret, donec Diaconus Wiburgensis *Johannes Stephani Sapinoff* a. 1791 huic curæ præficeretur; qui ætate florens, moribus honestus et hilarior, neque conversationem hominum cultiorum neque sermones de religione refugit, de qua liberalius sentit, non solum ritibus externis, sed mente quoque pia et honesta Deum colere auditores docens, in quibus erudiendis plus efficere valet, quod Fennice iis textus sacros alternis saltem sabbathis explicare solet.

§. III.

In sacerdotibus Ecclesiis hisce præficiendis, is observari mos solet, ut vacante munere statim

res

res ad Præpoſitum Eccleſiarum Lutheranorum Careliæ referatur, qui literis ad Conſiſtorium Eccleſiaſticum Borgoënſe miſſis, petitionem membrorum Eccleſiæ vacantis ſimul adjungit, ut vel quem ipſi commendant, vel alius homo idoneus ſibi miniſter religionis detur. Conſiſtorium deinde Borgoënſe rem Legato S. Regiæ Majeſtatis Petropoli verſanti demouſtrat: qui per Magiſtratus Ruſſicos, ad quos talia negotia pertinent, eum Sacræ Synodo Ruſſiæ commendat; a qua conſtitutus ſacerdos, ſive ab Eccleſia expetitus ſive alius quem idoneum judicat, in Ruſſia ſacris ordinibus (ſi eos antea non ſuſcepit) a Metropolita Petropolitano (*a*) initiatur, et juſto diplomate novo muneri præficitur. Inde miſſus, Præpoſitum Carelienſem adit, ei non ſolum diploma autographon a Metropolita acceptum, ſed ejus etiam translationem Fennicam vel Svecicam exhibens. Quo facto, Præpoſito injunctum eſt, ut examine inſtituto, Conſiſtorii Borgoënſis nomine, exquirat, an linguæ Fennicæ peritia gaudeat? Qua explorata, teſtimonium ejus rei, una cum diplomatis allati translatione ad Conſiſtorium mittit; a quo juſto tandem munitus diplomate, atque præſtito apud Præpoſitum homagio S. Regiæ Majeſtati debito, muneri,

(*a*) Ad Archiepiſcopi enim hujus (qui ſimul membrum eſt Supremæ Synodi Sacræ) Diœceſin pertinere cenſentur, Ejusque inſpectioni ſubſunt.

muneri, solenni more præficitur, et Ecclesiæ penus omnis suæ fidei committitur.

§. IV.

Quod ad stipendium Sacerdotibus hisce ab auditoribus suis exhibendum, horumque tributa ecclesiastica pertinet, eundem Carelii Græcæ religioni addicti observant morem quem populares sui Lutherani; quos reditus sacerdotes ipsi sub annuis suis per Ecclesias suas itineribus colligunt. De tota hac re anno 1781 (d. 31 Julii) parochiani in Ilomants (*a*), anno vero 1792 parochiani Taipalenses

(*a*) Vi hujus pacti, a quovis prædio integro (Svet. Hemman) Pastor accipit 12 modiolos Svecicos (Kappar) frumenti puri, 2 panes, 1 (½?) libram butyri ex vaccis singulis, (præter carnem siccam aut assam, pisces, linum, cannabim, lanam), operam unius diei, et ex familia quavis 4 oras monetæ argenteæ (1 skillingum) tempore pascali solvendas (Påsk-pengar). Cantori (*Dejatsock*) a viro quovis laboris jam patiente (arbetsför Karl), sive justum prædium sive tugurium agello instructum (Torp) incolente, debentur duo modioli frumenti, præter alia cujusque liberalitati permissa. *Campanario* autem (*Ponomar*), cujusque prædii possessor 3 modiolos frumenti pendet. Cum a. 1757 Ilomantsenses proprium sibi Pastorem expeterent, hujus reditus 24 Tonnas et 29 modiolos frumenti, Cantoris 8 Tonnas et 10 modiolos, Campanarii 3 Tonnas 30 modiolos æquare putabantur.

ses (*b*) solenne cum Pastoribus suis pactum inierunt, legitime approbatum et confirmatum. Sed præterea his eorum stipendiis augmentum insigne a munificentia Imperatricis Russiæ accedit: quæ jam quotannis Pastori cuique centum Imperiales Russicos (Rublar) doni nomine (Russice *Schalowenja*), reliquis Ecclesiæ ministris 50 cuique exhibet. (Ante 30 annos Pastori nonnisi 60 et reliquis Ecclesiæ ministris conjunctim tantumdem dabatur). Quam pecuniam adepturi, antea Pastores Petropolin proficisci ipsi necesse habebant; nunc autem in urbe proxima *Serdapol* (*Sordawala*) accipiunt.

§. V.

Præter templa præcipua et solenniter consecrata, quæ supra commemoravimus, sacella etiam quædam sive ædiculas religiosas Carelii Græcæ confessioni addicti habent; quale sacellum *Tsääsynä* illis dicitur. Tales ædiculæ binæ in Ecclesia Ilomants habentur, una in pago *Kovero*, altera in pago *Melaselkä*. Prior illa a. 1764 ædificata fuit, cum anno præcedente vetustior ibidem habita a rustico Lutherano, sed mente capto, incensa fuisset. In tali sacello reliquos omnes licet actus sacerdotales peragere, præter sacram synaxin et benedictionem sacerdotalem novorum conjugum, nonnisi in templo consecrato perficiendas; ita tamen, ut in casu necessitatis, graviter ægrotanti S. Cæna etiam domi

 por-

(*b*) Ad illud tempus pro numero arcuum (efter Bågatal) Pastor Taipalensis suos nactus fuerat reditus; quæ ratio incerta fuit et incommoda.

porrigi queat. Hæc ſacella nullo peculiari inſtructa ſunt miniſtro, ſed ſenior pagi ubi illud habetur, die quovis feſto ac ſacro illud mane aperire debet, ut opportunitas ſit volentibus ibi precandi et cruce ſeſe ſignandi: niſi advenerit ſacerdos, alius in iis cultus divinus non celebratur. Sacellum in *Kovero* campanula etiam ærea, ad incolas pagi convocandos idonea, inſtructum eſt. Hujusmodi ædicularum ſacrarum magnus olim in parœcia Ilomants erat numerus: utpote in quovis pago ubi Græcæ fidei asſeclæ habitarent, exſtructarum (*a*). Sed ob ſuperſtitionem, cui alendæ materiam dabant (quod in iis et Lutheranorum haud pauci rudes ac ſuperſtitioſi primitias frugum ſanctis offerebant, quas tamen ipſi deinde conſumebant), ſenſim deſtructæ ſunt, jusſu imprimis Satrapæ *Henr. Wrede*, qui hoc miniſtris territorii et parœciarum Carelicarum publicis (Krono-Betjeningen) in mandatis dederat. Idque eo potiori jure, quod etiam in ipſa Rusſia plurimas tales ædiculas, ut ſuperſtitionis nutrices, jusſu Imperatoris *Petri I.* dirutas fuisſe, traditur. Sed præterea in quovis fere pago inſigniori, Græcæ religionis asſeclæ locum ſepulturæ habent (Fenn. *Kalmiſto*), ubi mortuos ſuos condunt, ritibus ſepeliendi religioſis ad ſacerdotis adventum dilatis. Literis

(*a*) Erant 6 ulnas (2 famnar) longæ latæque, aut etiam minores. Olim exſtructæ, deinde parum diligenter conſervabantur; nec fere in iis cultus divinus celebrabatur, niſi diebus nomini Patroni ſacelli cujusque ſacris. Circa hæc ſiti erant *Luci*, et loca ubi mortui condebantur (*Kalmiſtot*).

teris tamen Consistoriii Ecclesiastici Borgoënsis a. 1748 d. 10 Sept. datis, jussi sunt, ut cultum divinum in Templis suis solennibus celebrare, ita juxta ea mortuos suos sepelire.

§. VI.

De ipsa vel religione vel cultu ritibusque ecclesiasticis horum hominum, opus non est ut multis agamus; quippe iisdem quibus Russi utuntur, ab aliis satis diligenter et luculenter explicatis (*a*). Id tantum observasse sufficiat, cum sacerdotes ex Russia ad has Ecclesias missi, diu non modo linguæ quam solam callent auditores vel plane ignari vel parum periti essent; cum cultus divinus non nisi lingua Russica s. Schlavonica auditoribus prorsus ignota celebraretur; cumque hi et omnibus carerent libris, lingua sua vernacula conscriptis, e quibus notitiam religionis haurire possent: in missis audiendis, in crucis signo frequenter adhibendo, sacramentis fruendis, jejuniis et quibusdam aliis ritibus diligenter observandis et in sacris imaginibus venerandis, verbo in cærimoniis externis totam eorum constitisse religionem; in cujus, quod ad præcipua etiam fidei capita, hi homines, omnis in-

 stitu-

(*a*) Cfr. præter Vetustiores (PAULI ODERBORNI *De Russorum Religione* etc. *Narratio ad Dav. Chytræum*, Lips. 1586, 12:o) *La Religion ancienne et moderne des Moscovites*, *à Cologne* 1698, 8 o; NIC. BERGIUS *de statu Ecclesiæ et Religionis Moscoviticæ*, Holmiæ 1704 et 1705, 8:o; JOH. GLEN KING *Die Gebräuche und Ceremonien der Griechischen Kirche in Russland*, Riga 1773, 4:o.

ſtitutionis expertes, maxima ignorantia vixerunt. Ad hanc ignorantiam excutiendam, curam quidem adhibere Conſiſtorium Borgoënſe non levem diu ſtuduit, ſed ſuccesſu parum felici. Sacerdotes enim Rusſici non modo operam fidelem diligentiamque ei non adjungebant (partim ex ignavia, partim ex linguæ Fennicæ imperitia), rem in Eccleſiis adeo diſperſis non facillimam ſibi injungi ægrius etiam ferentes, et ne in ſuæ religionis detrimentum nova lux auditoribus exoriens vergeret, metuentes; etiam his, a novo labore ſumtuque ſuſcipiendo per ſe alienioribus, rem odioſam reddere ſtudebant, modisque omnibus tali conſilio adverſabantur (*b*). Quod minus

(*b*) Cum Epiſcopus Borgoënſis a. 1748 Careliam viſitaret, atque in Eccleſiæ etiam Taipalenſis ſtatum ac conditionem (quæ unica tum in tota Carelia Suecica fuit, Græcæ fidei addicta), membris ejus in templum ſuum convocatis, inquireret; non niſi 2 reperti ſunt ruſtici, qui literas nosſent et legere ſcirent. Magna pars ne orationem quidem Dominicam et Articulos fidei recitare noverat. Qui eo tempore Paſtor fuit *Theodor Sophronoff*, partem tantum precum Rusſicarum a ſe publice recitatarum, Fennice ſolebat interpretari; cum tamen præſcriptum ei esſet, ut totum cultum Divinum Fennice celebraret. Querebatur autem de penuria librorum Fennicorum; quum Lutheranis uti non auderet. Injunctum tamen ei fuit, ut literas noſſe auditores ſuos doceret. Parochiani quidem Ilomantſenſes, cum a. 1737 in viſitatione Epiſcopali petiisſent, ut ſibi Paſtor peculiaris daretur, talem poſtulabant qui Fennice ſciret, eamque ob causſam filium Paſtoris Rusſici in *Repola* ſibi maxime ex-

nus etiam mirum fuit, quamdiu non alii vel libelli alphabetarii vel Catecheses Fennicæ suppetebant, nisi in nostris partibus atque a nostris hominibus editæ (c). Sed postquam Petropoli in usum Ecclesi-

petebant Pastorem; in visitatione Episc. a. 1764 flagitabant Cantorem Libelitsensem *Jo. Smollnakoff*, (qui partem lectionum publicarum a Pastore recitatarum interpretari valebat et solebat) qui etiam datus fuit iis. Sed in visitatione Episcopali a. 1774 repertum fuit, neque cultum alia lingua quam Russica celebrari, nec Pastorem (*Pet. Protopopoff*) velle nisi hac auditores suos instituere, quod Catechesi Fennica suæ fidei destituerentur. Jussus tamen fuit textus dominicales Fennice explicare. Consistorium autem Borgoënse decrevit, ut per Legatum Suecicum Petropoli versantem, apud Synodum Russicam ageretur, ut nostris Careliis Græcæ confessioni addictis librum Catecheticum idoneum Fennice scribi curaret, sacerdotesque illorum Catechesin auditores suos docere et cultum Divinum lingua auditoribus vernacula celebrare juberet. Quæ omnia parum profecisse, a. adhuc 1778 compertum fuit, Sacerdotibus Russicis odium literarum (inprimis Fennicarum) discendarum in auditoribus suis alentibus, qui ab hac molestia sibi non minus quam suæ in Russia religionis hominibus libertatem, ut quoddam religionis suæ privilegium concedi debere, ajebant. Quamdiu Pastoribus ipsis lingua Fennica parum fuit familiaris, nec illam discendi caussas satis graves hi se habere putabant; intelligi facile potest, quam parum ab iis in auditoribus serio docendis sperandum esset.

(*c*) Quos igitur libros Alphabetarios et Catecheticos Fennicos in usum Ilomantsensium a. 1765 emi Consistorium jusserat, eos Pastor (*Jo. Smollnakoff*) anno sequente reddidit, caussam prætexens, quod auditores

arum Fennicarum Græcæ fidei addictarum edita fuit Catechesis; non sane contemnenda, e lingua Russica in Fennicam conversa (*d*); etiam illa tergiversationis caussa sublata est. Nec negari debet, idque ad laudem Pastorum qui hodie Ecclesiis Græcis Carelicis præsunt meritam pertinet, antecessorum suorum hac in re vestigia eos non premere. *Ilomantsenses* quidem nihil adhuc profecerunt, qui hactenus libros neque Fennicos neque Russicos legere norunt: promisit tamen Pastor eorum rem quantocius studiose aggredi. *Libelitsensis* autem illius (s. *Taipalensis*) præclaram in hoc negotio diligentiam, supra jam laudavimus: e cujus auditoribus nonnulli Biblia etiam Fennica sibi compararunt, ac librum Psalmorum nostris in Ecclesiis usitatum, quo ad privatam alendam pietatem libenter ac fructuose utuntur.

---

sui emere illos recusassent, qui Præposito Carelienss illos iisdem commendanti responderant (ex consilio sacerdotis sui), velle se potius liberos suos literas Russicas docere, utpote ad cultum Divinum intelligendum sibi utiliores, quam Fennicas: cujus rei etiam a sacerdote factum fuerat initium, qui tamen ipse literarum parum peritus, nec in illo consilio, utpote vix serio, diu perstitit.

(*d*) *Lyhykäinen Katekismus*, *käänetty Wenäjän kielestä Suomexi*, *Grekan uskon Seurakunnan hyödytyxexi suomen maalla. St. Petersburgisa* 1780, plagg. 1½ in 8:o Majori. Breve hoc Compendium Catecheticum, a defuncto Pastore et Præposito Lutherano in Sordavala Samuele Alopæo Fennice conversum, ac a Metropolita S. Petropolitano debite approbatum est. Ejus jam ad templum utrumque, et *Taipalense* et *Ilomantsense*, exempla habentur, illis qui comparare sibi voluerint, distribuenda.